

Nos hanc Philosophicam fabulæ rationem reddimus; vulgarem alii adducunt. *Terræ ideo dicitur filia* (inquit *Boccatius l. v.*) *quia horizontem Orientalem superans videtur intuentibus ex terra exire.* Per terram autem intelligitur globus terraqueus, quia tam aqua quam terra exhalationes emittit. Has verò focias Soli damus, in generanda Aurora, cum solus haud sufficere, nec ab alia cooperante causa adjuvari possit. Prius patet tum ex situ corporis Solaris, quod eo tempore infra Horizontem commoratur, tum ex rectitudine radiorum, quos non curvo inflexu aut circulari obliquitate, circum superficiem telluris intorquet, sed ubi potest rectos immittit. Posterius ineptitudo aëris evincit. Hic enim solus aut lumen Solis recipit reflectitque, aut vapores in se receptos vices suas præstare jubet. Aër verò est vel circa & proximè supra Horizontem, per umbram terræ ante Solis adventum occupatus; vel supra conicam terræ umbram consurgit, & semicæli compagem explet, à lumine Solis tam noctu quam interdiu illustratus. Neuter verò Auroram generare potest. Non prior, quia si purus & in se consideretur, nullam reflectendi facultatem habet. *Ubi enim medium, per quod transit visio, uniforme fuerit, & similium undiq; partium, fieri nequit ut luminaris radii vel reflectantur vel refringantur.* Continuo verò ictu rectè protendantur sine obstaculis. Nulla enim reflexio nisi à corpore densiore quam medium id per quod transit radius. Jam ubi nulla reflexio, ibi nulla quoq; radiorum congregatio: Proinde nec uniri potest id lumen, quod æquali diffusionem jam ante adfecit oculos. *Lauremberg. Amphylici propos. 1. theorem. 7.* Tale verò medium est aër, si absque vaporibus consideretur. Etenim nisi à particulis aëris (vaporibus nimirum, siquidem per aërem atmosphæram intelligit) radii solares reflecterentur ad oculos nostros, nulla pars aëris lucida nobis appareret, præterquam ea, supra quam Sol consistit; & sic Sole in parte Orientali constituto, non esset lucidus aër meridianus neq; Occidentalis. *Varen. Geogr. Gener. part. absol. L. 1. sect. 5. c. 19. prop. 34.* Nec aër supra terræ umbram collocatus id præstare valet. Hic enim, si recepto in se Solari lumine Auroram producere posset, noctu semper foret diluculum, cum nunquam iste Solis lumine destituatur. Sol enim undiq; & undiq; radios ex se gignit, qui rectis lineis per universum mundum sparsi (præter spatium per terræ umbram occupatum) aërem jux-